



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

9. Dies Maii. Curiosus interna despicit, præterita non respicit, præsentia non inspicit, futura non prospicit. S. Bernardus in serm.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Majus.

Tessera.

351

sub veste attalica, serica, odorifera, latet anima cada-
riferam, Illud sufficiet pro corpore, si nec ad invidiam
splendeat, nec ad contemptum sordeat: sit vestis ad
usum, non ad cultum, obliget hæc dicta Poëta.

*In vestimentis non est sapientia mentis;
Qui nimium curat cultus, sit pauper adultus.*

9. DIES MAII.

Curiosus interna despicit, præterita non
respicit, præsentia non inspiciat, futura
non prospicit. *S. Bernardus in serm.*

Curiosi- I.
tas circa
aliena.

Quis non accuset curiosum, &
non condemnet curiosita-
tem; illum ut vitiosum, hanc
ut vitium? utpote qui cum ea
quæ illius intersunt, nec despiciat, nec inspiciat, nec
prospiciat, dignus sit quem nullus suspiciat, dignissi-
mus quem quivis despiciat. Proprium est curioso esse
suarum rerum incurium, esse studiosum, ut vitam co-
gnoscat alienam, desidiosum ut corrigat suam: otio-
sum esse in necessariis, negotiosum in supervacaneis,
feriari ut inquireat seria, occupari ut intelligat futilia.
Quæ porticus est, quæ officina, quæ fori pars, in qua
dies curiosi non traducunt integros? obtundunt alio-
rum aures infinitis quæstionibus, mentes interroga-
tionibus, magno audientium studio, temporis dis-
pendio. Quid vis investigare, quæ præstat ignorare?
Omnis ineruditus, idem est & curiosus: estque para-
tior ad inquirendum quam capacior ad intelligen-
dum.

dum. D. Augustinus rogatus ab Afro, quid Deus ante mundi creationem faceret? scitè respondit: Curiosis parabat infernum. Sancta est ignorantia, nescire nescienda.

II. Quapropter refrananda est curiositas illa, & potenti manu ut equo frementi, atque indomito injiciendum est lorum, quo in gyro moderationis contineatur. Dæmon tibi perpetuò insidiatur, invigilant hostes innumeri omni occasione te perdendi, mors imminet, incumbit vertici tuo immensum illud interminatæ Æternitatis pondus, nescis quis tibi à morte abjiciendus sit calculus, ater an albus, brevi citandus es ad supremi Judicis tribunal, cras reddenda Judici ratio omnium quæ fecisti, contra normam rectæ rationis: & tot inter negotia, tantum tibi est otii, vacuique temporis, ut hinc atque inde, emissitios in omnem partem oculos circumferas, ut quid alii agunt aliis referas? ut ad nævos alienos vim omnem, & intelligentiam conferas, & negligas tuos? hoc non infimum est hujus mali malum, quod proprias noxas ignoret, & ad illas sit quasi Polyphemus, in alienis pervidendis sit Argus: ibi lynx, hinc talpâ: cum foras egreditur, & aliena inspicit, est lamia; cum sua introspicit, est ipsa cæcitas. Imitatur muscas, cum deberet potius apiculas. Illæ procaci, & importunissima temeritate, ad pus, & ulcera putria, sanientque circumvolant; hæ floribus insidentes mellis suavitatem colligunt.

III. Ut hoc vitium, quod tibi ultimum pariet exitium, penitus extirpes, sequere consilium Omuli, civis Romani, ad quem aliquando cum Antonius Pius divertisset, & curiosa multa inquireret de Porphyriticis

Majus.

Tessera.

353

ricis columnis, aliisque interioribus, quæ scire nihil attinebat; liberè omulus curiosum pupugit. *Cum in domum alienam veneris, & mutus, & surdus esto.* Ita & tu, esto in alienis mutus, ne quid interrogando quæras: esto surdus, ne quid audiendo percipias; imò, esto & cæcus, ne quid ad te non attinens, aspicias. Quin etiam ut nullum illius nævi vel levissimum appareat in te vestigium, gere te ut mortuum. Assuesce habitare tecum, & pax erit tecum. Noli in alienis domibus esse domesticus, ut quid ibi agatur investiges, & domi tuæ peregrinus, & hospes, ut quid ibi agas & agatur, ignores. Nihil probrosius quàm ut alienas frequentes domus, ut ibi sis momus. Regnum Dei intranos est, quid extra nos mendicamus miserias per sensus palabundos? Deus intus loquitur, quomodo cum audire possumus extra nos & foris in plateis? Dum loqueris homini, alium hominem interrim te alloquentem non audies, quomodo audies Deum tot intentus tumultibus? Quid foris optas videre pulchrum, quid jucundum audire, quid novum cognoscere, ubi tecum est tota ipsa pulchritudo, tota simul jucunditas, & ubi semper est novum quod intelligas, & quo te pascas? Ut ergò fruaris pace, sis tecum frequens in corde. Noc hoc meum est monitum; Poëtæ est oraculum:

Pax huic servatur, qui secum in corde moratur.

Paris 11

Z

10. DIES